IO. DAN. OVERBECK
Viro Doctissimo Humanissimoque
Io. Matth. Gesnerus
S. P. D.

Venerunt Gottingam literae tuae, cum ego Cassellis apud generum meum valetudinis curandae caussa obhaererem, et quod fasciculum sibi chartarum adiunctum haberent, ad reditum meum seruatae sunt. Ipse redux plura vel reuocanda vel expedienda inueni ante quam ad dulce mihi officium deuenire liceret. Quae cum ita sint, ignosces, Vir Humanissime, tarditati harum literarum, quam grauitate pensarem equidem si possem. Sed eaedem illae caussae intercedunt, quo minus possim commentationibus his eam, quam merentur, operam impendere aut de illis tecum iucunde disputare. Illud percurrens potius quam studiose perlegens obseruasse mihi visus sum, auctorem earum virum sane doctum et sapientem, et dignum disciplina MOSHEMIANA esse, talemque cui probari, quem amicum habere et laudatorem, non in ultima felicitatis parte ponam.

Felicem profecto Scholam Lubecensem arbitror, quae Seelenis Langiisque suis succenturiatum velut habeat Overbeckium, a quo secunda omnia equidem iuventuti et reip. illi polliceor et auguror. Impleat Deus augurium hoc, teque, Vir Humanissime, longa felicitate, et in primis etiam εὐτυχίᾳ quadam literaria frui iubeat. Si quid occurret in posterum, in quo significare possim quanti doctrinam tuam et humanitatem faciam, cupide profecto illam occasionem amplectar. Collegis tuis, VV. CC. quaeso de meo in ipsos studio significa. Bene vale et strenue feliciterque rem gere. Scrib. a. d. XXI Iun. DCCLV.

Gottingae.

à Monsieur

Monsieur Overbeck, sous-
Recteur du College,

à

par couvt. Lubeck

128 V